

www.e-rara.ch

**Grammatica religiosa, quae pie docet declinare a malo, & facere bonum,
amplecti perfectum in praesenti, & respuere imperfectum, ad obtinendum
futurum infinitum, cum participio salutis**

Abraham

Coloniae Agrippinae, anno 1719

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRa 53: b

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25379>

Sermo XIV. De paupertate.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

2. 2. 9.
104. Att.
6.

tum in licitis obliget secundum D. Thomam. Et Navarrus in Manuali cap. 4. nu. 9. dicit, obedientiam non liberare à peccato illum Confessarium, qui cognoscens se non intelligere, quantum opus est, ad audiendum confessiones, eas audit, & hoc confirmat auctoritate D. Antonini Archi-Episcopi Flor. Quæ sententia optimè applicatur nostro proposito, ut cognoscas, quòd in casu isto non teneris obedire, neque obedientiam à peccato te liberare in acceptatione talis Prælatu-
ræ, ad quam tua ignorantia te facit inhabilem ad acceptandum, & à fortiori ad querendum. Neque Electores sine crimine te eligere possunt, licet alioquin bonitas viræ in te esset, quia licet ista requiratur tamen non sufficit; quia præcipuum munus Pastoris est, pascere verbo, quod tu non vales, sufficienti scientiâ destitutus. Hactenus N. P. Ignatius fol. 298. Hæc frater charè etsi primariò pro directione mea mihi oraverim, secundariò tamen etiam tibi emolumento esse possunt, relinquens licita tuo libero arbitrio, illicita nunc haud dub. è secundum di-
cta declinare studebis. Vale.

S E R M O XIV.

D E

Paupertate.

Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum
Math. 5. 3.

P A R S P R I M A.

Serm. 18.
sup. Ep.
ad H-
bras.
Grad. 17.
A. lig.
Vit. 17.
de paup.
6. 4.

NON malè fecerimus, si de encomiis, quibus Sancti Patres virtutem propositam adornant, exordiamur. Etenim auditis his animus magis inflammatur ad eam concupiscendam. Est autem Paupertas Spiritus, rerum omnium temporalium ob amorem Dei & Desiderium perfectionis voluntaria abdicatio. Hanc porro Divus Chrysostomus vocitat manu ductricem quandam in via, quæ ducit ad Cælum, unionem athleticam, exercitationem quandam magnam & admirabilem, portum tranquillum, & subjungit ulterius: Nihil opulentius eo, qui paupertatem spontè diligit, & cum alacritate suscipit. Similia habet S. Climacus dicens: Paupertas est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad Deum sine impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ transeuntis, & facit, ut Dei mandata perfectè exequamur. Sed audiamus etiam quòdam S. Laurentius Justinianus de hac virtute sentiat, dum in hæc prorumpit verba; Quid paupertate melius? quid securius?
quid

quid jucundius? tristetur omnes, cuncti gemant, formidant universi, hæc semper hilari, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. Bonum cœleste præstolatur possidere in cœlo, ideo nihil habet, quod amittere possit in terra. Frequenter evolat ad supernam Patriam, ubi suam remunerationem esse cognoscit. Hæc S. Laurentius. Et tandem ut S. Ambrosius loquitur, quemadmodum rerum facultates instrumenta sunt omnium victorum, sic harum abnegatio generatrix & nutrix est omnium virtutum.

2. Hanc paupertatem Christus adeo adamavit, ut eam in primo suo ingressu in hunc mundum, velut Matrem incredibili cordis affectu amplexatus sit. De quo S. Bernardus ait: In cœlo paupertas non erat invenienda, ac in terra erat abundanter, & homo nesciebat ejus pretium, ideo ob hujus desiderium descendit Filius Dei de cœlo, ut hanc sibi eligeret, & nobis etiam per ejus magni æstimationem præciosiorem redderet. Hinc videmus, quod adeo pauper erat Dei Filius, ut nec locus in diversorio ei suppeteret, ideo ad stabulum divertere coactus est. Natus non in molli lecto sed in rigido feno reponi voluit; paulo post in Ægyptum profugus cum SS. Matre sua Maria & nutritio Josepho quid non patiebatur? Qualem non rerum necessitatum egestatem hi tres sustinuerunt? per septem enim annos inter barbaros degentes nec panem sufficientem habuerunt. Nihil dico de eorum habitatione, quæ fossa, sub aliqua subruta domo, reperta erat, quoniam nemo illos in domum suam recipere voluit. Silentio involvo reliquas incommoditates, lectus enim pro Maria & Josepho erat hirta tellus. Pro Jesulo verò cunæ ex nudis asseribus compactæ, ô quoties hic divinissimus Infans pulmento aliquo indigebat, neque tamen habebat. Uno verbo tota Salvatoris nostri vita nedum pauperula, sed ipsa planè pauperies dicenda est. Erat enim pauper, pauperior, pauperrimus. Pauper quia nudus & ab omnibus ludibrio habitus in cruce pependit; pauperior, quia sitiens nec haustum aquæ habuit; pauperrimus quia non habuit, ubi caput suum reclinaret teste Matthæo dicente: *Vulpes fossas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominû non habet, ubi Caput suum reclinet.* Hanc autem paupertatem ideo sustinuit, ut ejus excellentiam & perfectionem nobis manifestaret, & ad eandem amplectendam suo exemplo nos animaret teste Apostolo dicente: Propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut nos illius inopia divites essemus.

C. 2.

3. Nam quis magis dives esse poterit, quam cui debetur regnum cœlorum? At hoc proprium est pauperibus, ut ipsemet Salvator docet: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non loquitur in futuro erit sed in presentia est. Quomodo verò hi pauperes regnum cœlorum jam possideant insinuat Rodriguez hæc similitudine. Sicut si Trapezita pro vase aureo, aut lapide pretioso centum Philippeos offeras, quem is domi suæ adhuc habet, jam tuum vas illud, aut lapis tuus est, etiamsi necdum sit traditus, quippè jam tuo ære coemptus; ita regnum cœlorum est pauperis Spiritu, qui pro eo, quidquid habet, expo-

PAT. 2. 57.

3. 6. 2.

fuit. Præterea etiam status horum pauperum adeo beatus est, ut ob ejus felicitatem quasi regnum cælorum nuncupari possit. Non enim duntaxat pro amore Dei relictis gaudium habebunt æternum, sed insuper in hac vita pro eis multa cælestia dona adipiscuntur secundum illud: Centuplum accipient & vitam æternam possidebunt. Ubi quærit S. Petrus Damianus, quid est centuplum istud, nisi consolationes, visitationesque, & primitiæ Spiritus, qui super mel dulcis est & nisi testimonium conscientiæ bonæ? nisi læta & jucundissima expectatio Justorum? nisi memoriæ abundantia suavitatis Dei? & magna verè multitudo dulcedinis ejus, quam nec expertis necesse est dicere, nec inexpertis ullis verbis exprimere quisquam potest. Præterea quemadmodum tres juvenes Hebræi non adorantes statuam auream Nabuchodonosoris in flammis turti fuerunt; ita pauperes Spiritu, qui auream moneræ statuam & hujus mundi res fluxas non adorant, etsi in flammis afflictionum sint constituti, manent tamen securi & pacifici laudantes Deum & benedicentes. Unde Rufinus memorat, quòd quidam Sanctus interrogatus sit an paupertas esset bonum perfectum? & ait: Magnam rem esse voluntariam egestatem, qui eam possideat, tribulationem quidem carnis habiturum, sed inventurum animæ suæ requiem.

L. 2. Vit.
pp. n.
169.

L. 1. re-
vol. 6. 10.

4. Enim verò non modicum etiam hæc virtus exemplis sanctorum virorum commendatur, quibus facem præluxit gloriosissima Cœlitum Regina, quæ in Templo Hierosolymitano adhuc degens jam vovit, si S. Brigittæ fidem adhibemus, quòd nihil unquam velit in mundo possidere. Unde videmus, quòd hæc Dei Mater in die Purificationis suæ non agnum more divitum, sed par turturum more pauperum obtulerit. Nam etsi illa in rupe Bethlemitica tantum auri à tribus Magis acceperit, ut sine omni sollicitudine vitam suam honestissimè sustentare potuisset, maluit tamen manere pauper, quàm aliquid possidere, ideo, ut piè meditatur S. Bonaventura, SSa. hæc Virgo intra paucos dies per Sponsum suum Josephum totum pauperibus elargiri fecit sic: ut in die Purificationis suæ non haberet, quo agnum emere posset. Fecerat autem hæc gloriosa Virgo, ut Filium suum pauperimum imitaretur, & ne in minimo, quo minus Deum diligeret, impediretur. Sciebat enim, quòd res caducæ valdè cor humanum ab amore rerum cælestium retrahant; quare ut suo nos exemplo doceret pauperiem amplecti, illa pauper & inops semper manere voluit. Et certè non paucos habuit dei Mater imitatores, omnes enim Sancti videntes Christi & SS. ejus Matris pauperiæ nescire haud potuerunt, quin maximus cælestium bonorum thesaurus in hac spontanea paupertate latitet, ideo ut hunc consequerentur omnes mundi opes contempserunt; inter quos erat S. P. Augustinus, qui etsi fuerit Episcopus, adeo tamen paupertatem dilexit, ut moriens non haberet, quò testamentum faceret, Idcirco non aliud testamentum quàm voluntariam paupertatem omnibus suis in Christo Filiis reliquit.

5. Porro S. Amatus adeo etiam hæc Evangelicam virtutem magni habuit, ut dum vice quadam illius loci Episcopus Virum Sanctum visitationis ergo con-

venit.

venisset, ejusque inopiam odoratus esset, ut hanc sublevaret. S. Amato liberalem eleemosynam obtulit, quam cum Vir Sanctus acceptare constanter renueret, eam Episcopus clam Altariolo, in quo S. Eremita sacrificare solebat, impositam reliquit. Amatus igitur altera die videns in suo Altariolo depositam pecuniam; hanc mox accepit, & in profundam vallem abjecit dicens: Deus pars mea est; vobis autem non indigeo. Simile quid legere est in Vita S. Melania; nam cum hac Sanctissima Matrona venisset ad Sancti Ephæstionis Eremicolæ tugurium omni commoditate viduatum, planèque desolatam, liberaliter eleemosynam eum donavit. Sed S. Monachus accipere eam detrexit, seque eam opus habere negavit. Verùm cum persuaderi non posset, ut eam acciperet, Melania eam clanculo deposuit in Sportulam illic aditam cum modico sale (hæc erat omnis ejus an nona) cumque se precibus ejus commendasset, discessit. At Monachus, ut in Sportula peculium reperit, ocyus abeuntem secutus, & assecutam rogavit, ut pecuniam suam reciperet, at S. Melania hanc recipere recusavit, quare S. Eremicola consilium mox capessit, & datam stipem in flumen abjecit, suamque cellam repetiit malens ut aurum per aquas nataret, quam ut se sua pauperie viduaret. S. Spiridion, quia Imperatori Constantio suis precibus sanitatem restituit, in gratitudinis vicem ei Imperator magnam auri vim obtulit, quod u. Vir Sanctus vidit, Imperatori ait: ô Cæsar non est æquum, ut amicitiam odio & invidia remuneres: Magnum suscepi iter, ut obedirem tibi, & pro tanto labore nunc vis mihi dare aurum, quod est causa omnis mali?

6. Sed ut magis pateat, quanto odio Dei servi omnem pecuniam semper persequantur, adjungere libet, quod memorat Pelagius in vitis Patrum. Vir admodum locuples venerat aliquando in Eremum Scithi deferens secum plurimum auri, ut id loci Presbyter distribueret Monachis indigentibus. Cui cum Presbyter diceret, non indigent fratres pecuniis, & ille nollet acquiescere, mandavit Senior, ut omne aurum poneretur ad fores Ecclesiæ, quod quisque Monachus acciperet quantum vellet. Mirum cum omnes ingrederentur, & audirent præconem, nullus tamen ex omnibus fuit, qui obulum acciperet: Imò nonnulli explicatam pecuniam nec aspexerunt. Probè enim noverant hi sancti Monachi paupertatem esse Monachi thesaurum, & qui illo destitutus est, pauper sine merito & omnino miserabilis diceendus est. Hanc porro pauperiem tanquam medicum ad perfectionem omnes Apostoli exosculati sunt, ut Eusebius loquitur, & tanquam Sponsam coluerunt omnes viri Religiosi, sic ut Cassianus dicat: Multa millia Monachorum sunt, qui post abrenuntiationem nec denarium habent, nec habere voluerunt, etsi in abundantia oblari fuerint. Præterea non est silentio prætereundum, quod meminit Eusebius libro 1. historiarum. Quod Abagarus Rex Edessenus, cum à S. Thadæo Apostolo curatus esset, obtulit ei titulo gratitudinis multum signati rudisque auri; quod omne Thadæus respuens dixit: Si nostra reliquimus, aliena quomodo accipiemus? Videtne charè Frater quid fecerint olim

*Serius in
vita ejus.*

*Idem in
Vit. S.
Melan.*

*Idem in
ejus vita.*

L. 6. n. 19.

*L. 3. de
monstr.*

c. 7.

Collat. 5.

c. 8.

c. ult.

Monachi, & licet nunc paucos similes invenire liceat, haud dubiè tamen erunt aliqui moderno etiam tempore, qui similia munera amore paupertatis non solum non affectant, sed oblata etiam averfantur. Quapropter satage ut cum his paucis paupertatem religiosam benè observantibus regnum Cælorum consequaris, ne cum multis hanc contemnentibus in tartareum barathrum detrudaris.

P A R S S E C U N D A.

7. Cæterùm, quod hic benè notandum occurrit, est, quòd eò ipso, quòd quis mundi opes contempserit, & cum Apostolis omnia reliquerit, non præmiabitur, multò minùs centuplum, secundùm Christi promissum, accipiet, nisi etiam voluntate & desiderio habendi se abdicaverit, qui hoc non præstat Pauper Christi esse nequit: quia ut Salvator loquitur: *Qui non renunciat omnibus, non potest esse meus discipulus.* Igitur licet quis se omnibus & quidem opulentissimis mundi bonis abdicaret, & ad monasterium properaret, si tamen adhuc voluntatem aliquas saltem res habendi sibi reservaret, gratum Deo opus minimè præstaret, neq; discipulus Christi fieret, quia nondum omnia reliquisset. Unde Apostoli præter retia sua non multum reliquerunt, pauperes enim piscatores erant, & nihilominus audacter loquantur ad Dominum dicentes: Ecce reliquimus omnia. Voluntatem siquidem habendi reliquerunt, ideo omnia reliquerunt. Ergo cùm ab opposito argumentum valeat, qui in ingressu ad aliquam religionem non simul renantiavit cupiditati res habendi, profectò nil reliquit, & talis religiosus licet nihil possideat, non tamen propterea pauper dicendus est, quia ut loquitur S. Bonaventura LOCULOS MENTIS retinet. Quantum verò talis inordinatus affectus erga res etiam minutissimas Deo displiceat, docemur ex hoc. Cùm Eremita quidam magnæ

Luc. 14.
v. 28.

Jo. Diac.
in vit. S.
Greg. 6.
40.
Historia.

virtutis à Deo ostendi petiisset, quantam olim remunerationem ab eo sperare posset, & quondam per revelationem cognovisset, eandem sibi cum S. Gregorio Magno gloriam præparatam esse, comparans suam paupertatem cum S. Gregorii divitiis & dignitate, dolensque se suâ paupertate & pœnitentiis non majus præmii meruisse, audivit Dominum in somnis dicentem: quandò divitem non facit possessio divitiarum, sed cupido, cur audes paupertatem tuam divitiis Gregorii comparare? qui magis illam selem, quam habes, quotidie palpando & fovendo diligere comprobaris, quàm ille, qui tantas divitias non amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter dispergendo largitur? Hæc Eremita audiens DEO gratias egit, & simul didicit omnem affectum ad rem etiam levissimam deponere.

Hom. 5.
in Evang.

8. Proinde conemur radicis eliminare omnem regularum cupiditatem, si inter veros paupertatis studiosos locum obtinere cupimus. Ad hoc autem præstandum, benè perpendere debemus longè majus Deoque gratius esse omnem affectum ad terrena relinquere, quàm vel ipsas mundi divitias contemnere; Hoc enim

do.

docet Magnus Gregorius dicens: Hac in re, fratres charissimi, affectum potius debemus pensare, quam censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantum libet parum, totum deseruit. Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis tenentiauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci poterunt. Cui consonat magnum Ecclesiæ lumen Augustinus inquit: Peccatores vocante Domino, quod naviculas & retia dimiserint, omnia se dimisisse, & Dominum secutos esse, etiam commemorando lætati suat. Et reverà omnia contemnit, qui non solum, quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere, contemnit, ita S. Pa. et. Porro talis contemptus terrenarum rerum videtur Religioso, ad eò necessarius ad operationes vitæ spiritualis eliciendas, sicut necessaria est homini vita ad actiones animales persurgendas, ergo quemadmodum discedente hâc vitâ animali homo nequaquam se movere potest; ita ablata vitâ mundanâ, dum quis per ingressum ad religionem mundo moritur, omnibus pristinis functionibus suis id est vitis præsertim pravis desiderii & mundanis cupiditatibus destitutus esse debet.

19. Præclarum autem exemplum, quo quis morte spirituali mundo moritur, omnibus Religiosis imitandum reliquit Ascetarum perfectissimus S. Arsenius. Nam cum fortè Româ vir nobilis eum vestigatum venisset, nuntiatumque, quemadmodum à cognato quodam suo scriptus esset testamento multorum bonorum heres; simul adventus illius causam didicit, respondit: Ego prius mortuus sum quam ille; imple autem modò mortuus est, quomodò ergo me fecit heredem sine testamento, nil omnino recipiens remisit. Aliàs etiam, cum Arsenius tantâ vitæ Sanctitate claresceret, seq; uominis ejus fama longè lateq; differeret, hæc etiam emanavit ad aures Arcadii Imperatoris, qui defuncto jam Patri Theodosio successerat, memorque salubrium consiliorum, quæ sibi quondam suggesserat Arsenius, & quemadmodum causa fuisset relinquendi Palatii, atque asceticam vitam amplectendi, precumque eorum, quibus eum lælerat, ductus, quendam suorum familiarium misit, qui suo nomine eum salutarer, additis etiam litteris, quibus in primis oravit, ut se suis ad Deum precibus commendaret, quò scilicet imperio pro divino nutu moderaretur, dein, ut quidquid in ipsum peccasset, propitiis ignosceret: denique ut elemosynam abs se oblatam, nempe totius Ægypti vectigalia, acceptaret, eaque in pauperes Monachos erogaret. Sed Arsenius, ut Imperatoris litteras aspexit, elemosynam remisit, nec scripto (a) sed compendio hæc imperatori pauca verba referri iussit. Deus, qui omnibus est propitiis, peccatorum nostrorum vincula solvat. Peculiarum autem distributio nequaquam ad me pertinet, quia jam mundo mortuus sum. Mortuo autem nulla est actio alia, quam spiritu æterna cœlestiaque contemplari. Sic effectus Imperatoris Legatum remisit.

ro. Igitur

(a) Modestia & humilitas ejus vel inde quoque liquet, quod nunquam loqui voluerit de quæstione aliqua Scripturarum, cum posset magnificè, si vellent, sed neque epistolam aliquam scripserit.

Ep. 94.
ad Pau-
linum.

10. Igitur sequamur vestigia hujus S. Anachoretæ contemnendo scilicet omnia à notis seu amicis oblata munera, recogitantes, quòd hæcce munuscula hamus diaboli sit; quo plurimos religiosos illaqueat ac decipit, cum per similia oblata initio quidem à perfectione religiosa & fervore animi abstrahat, postmodum eos ad laxitatem emolliat, emollitque in varia peccata præcipuè in sæculi amorem impellat, ac tandem infelices ad acherontem præcipites agat. O si liceret vel ad momentum aures ad portas inferi accommodare, proculdubio, quòd in re ita sit, ipsimet audiremus, cum millenas maledictione erga similes crudeles benefactores effutire perciperemus. Caveamus itaque ab hisce munusculis tanquam ab aspide & basilisco, ni salutem nostram magnis periculis exponere velimus. Meritò ergò monet nos D. Gregorius ad respuenda quæcunque terrena hisce verbis: nihil maligni Spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergò cum nudis luctari debemus. Si enim vestitus quispiam cum nudo luctatur, citius in terram dejicitur, quod habeat, undè teneatur. Quid autem sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? qui ergò cum diabolo ad certamen properat, vestimenta abjiciat, nè succumbat.

Hom. 32.
in Evang.

Vit. 6. 5.

Tr. de
Vit. Spir.
6. 1.

11. Uterius ad paupertatem spiritus non sufficit res mundanas affectu & effectu relinquere, non sufficit etiam superflua à se proscindere, si necessariis valde afficitur, & angitur, nè quidquam illi desit. Siquidem ad hanc paupertatem spectat necessariorum carentiam æquo animo supportare, nam ut rectè P. Balthasar Alvarez dicere solebat, nemo sibi de illustrationibus sensus, & spiritualibus consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu hunc bolum Evangelicæ paupertatis deglutierit. Tunc autem deprehendet, an illam amet, si ejus etiam comites diligat, famem, sitim, frigus, ac contemptum. Qui enim in vestibus quærit honorem, nè vilis habeatur, non diligit paupertatem: qui dum sitit, non potest sitim aliquamdiu perferre, is non studet paupertati: qui nihil vult sibi deesse, & tamen vult Religiosus haberi, decipitur. Quamobrem non gratis S. Vincentius in hæc verba prorumpit: Proh dolor! Multi de paupertatis solo nomine gloriantur, sed quo pacto? ut nihil eis desit. Dicunt se amicos paupertatis, sed paupertatis amici & sodales fugiunt pro suo posse, famem, sitim, contemptum, &c. Rursus verus paupertatis sectator non potest etiam contristari ob defectum & rerum inopiam totius communis, sed semper liberalem Dei providentiam (quæ Deus suos famulos nunquam deserit) expectare debet. Hinc Monachus ille Deo gratissimus minimè mæstus erat, quod granarium sui monasterii combustum fuerit, quin in d. Deo adhuc gratias referebat in omnibus se providentiæ Divinæ committens. Ut autem similem monasterii penuriam ob paupertatis amorem facilius toleremus, considerare debemus summam antiquorum Patrum pauperiem. Pro qua consideratione vel maximè inservire poterit, quod legere est in Vitis Patrum. Duo Monachi scilicet Moscus & Sophronius venientes quondam ad Abbatem J. añem perierunt ab eo aliquod documentum, quò vitam & mores suos melius iustitue-

runt. Quibus Venerabilis senecio respondit: Fratres charissimi diligite voluntariam paupertatem & omnium rerum spoliationem cum continentia. Et adjunxit: credite mihi, cum aliquid fermè inauditum vobis narravero. Quando adhuc eam juvenis & in Eremito Scithi degerem, incidit quidam Senex in aliquam infirmitatem, pro qua curanda non nihil aceri desiderabatur, quod etiam in quatuor cœnobiiis quaesitum fuit, at non inventum, tamen in illis tria millia & quingenti Monachi essent, ô verè pauperiem inauditam! Hinc ergò facilè concludere licet, quòd si nec tantillum aceri in his quatuor monasteriis reperite licuit, tunc profectò multò minùs aliquid de vino, condimento, adipe, & oleo, carnibus, piscibus, aliisque bellartibus inveniendum fuisset. Undè patet in quanta rerum egestate hi Sancti Monachi vixerunt, & nihilominùs hos DEUS mirabiliter pavit.

12. Inhærentes igitur in horum Ascetarum vestigiis superflua cuncta proscribamus, ac etiam contenti simus, si minùs in victu aliisque rebus administratur, nec non si quid necessariorum nobis defuerit, patienter ac hilariter amore paupertatis sufferamus. Et hoc modo facilè pertingemus ad animi requiem, reliquaque virtutes cordi inferendas. Etenim hæc voluntaria paupertas vocatur à S. Francisco Seraphico regina virtutum, quòd adeò à Rege, Reginaque cœlitum fuisset amata, dicitur solitus hanc Ordinis sui fundamentum, atque ab hac ducendum religiosæ perfectionis exordium. Hinc cum aliquando Vicarius ad S. MARIAM de Portiuncula quæretetur esse tantam illius Cœnobii pauperiem, ut adventantibus religiosiis necessaria præberi non possent, & sibi consultum videri diceret, res aliquas, quas Tyrones secum attulissent, asservare, quòd necessitatis haberetur aliquod subsidium. Vir Sanctus ait, Absit à nobis, frater charissime, ut pro quovis homine impiè agamus in regulam. Malo enim altare gloriosæ Virginis nudare, cum necessitas illud requireret, quàm contra paupertatis votum aliquid vel modicum attentare. Quapropter si anhelamus cum hoc Seraphico viro spiritualibus divitiis ditescere, contemnemus cum eo quæcunq; terrestria; si cupimus nostrum capitalem hostem scilicet dæmonem in certamine prosternere, denudemus nos omnibus regularum cupiditatibus; si mare hujus mundi feliciter transire affectamus, abjiciamus vestimenta mundanorum honorum; Si tandem promptè & absque impedimento ad æternam Patriam cursitare desideramus, sarcinas pravæ affectionum ad qualiacunq; demum creata ex cordibus nostris propulsemus. Quæ si præstiterimus, haud dubiè regnum cœlorum jam nostrum erit secundum Christi promissum; Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

P A R S T E R T I A.

13. Præter ea, quæ jam dicta sunt, adhuc aliqua dicenda restant, videlicet de gravitate transgressionis voti paupertatis, ut etiam ex his necessitas prædictorum magis elucescat. Imprimis itaq; tali voto adstrictus non potest aliquid alteri dare, vel ab alio recipere sine suorum Superiorum expressâ, aut saltem tacitâ licentiâ citra transgressionem voti paupertatis; nam agere similia sine facultate requirit dominium

Annal. num rei datae aut acceptae, quali Religiosus per hoc votum se privavit, ideòque
An. 1569. peccat simile quid attentans. Hinc Boverius scribit; quod quidam religiosus
Historia. Ordinis S. Francisci, cum ab omnibus crederetur vitæ esse laudabilis, in morte
 constitutus ad quodvis nihil aliud respondit, quam non est opus Sacramentis,
 quia damnatus sum. Geminam suæ damnationis causam aperuit, quarum una e-
 rant excusationes; altera quòd plura munuscula spiritualia absque majorum sci-
 tu, tam dare quam accipere fuerit solitus, veritus repulsam, si licentiam accepis-
Idem ib. set. Alium quoque quinque Rosaria ad infernum detulerunt, quæ clam compara-
An. 1570. ta destinaret cognavis. Et licet ob id conscientiae stimulus agigaretur; nihil tamen
Historia. unquam significavit Confessario, cogitans rem esse admodum levem. Inventa sunt
 à morte ejus Rosaria hæc in ejus genuflexorio abscondita. NB. *Hæc Hist. fufius re-
 cen. fol.* Overè mortalium infelicitissimos, qui, etsi in magno rigore vitam tradu-
 xerint, multum jejunaverint, media nocte surrexerint, orationem prolongarint,
 nihilominus tamen pro his omnibus austeritatibus nihil meriti receperunt, quo-
 niam hæc aliàs bona opera vitarunt hæc similes donationes. Quis igitur sibi ab
 his non caveat, ne pariter in tale infortunium incidat?

14. Porro virus, quod in his clandestinis donationibus latet, jam offecit S. Ig-
M. S. In- natius Lojola, quare ut hoc à Sancta sua Societate procul arceret, terribile statuit
golst. fol. exemplum. Nam Anno 1556. ultimo Maji in Festo SS. Trinitatis jussit P. Seba-
s. stianum Romæum Rectorem publicam disciplinam facere in medio Refectorii
 per unum miserere, & præterea in parva mensa comedere cum solo pane & vino,
 sequenti vero die etiam nihil comedere, priusquam quoddam Orbiculos sacros
 (Agnus DËI vocant) ad ipsum tulisset, eò quòd absque expressa licentia Superio-
In ejus ris, quibusdam suæ Societatis Religiosis similia munuscula distribuisset. Hanc
Vita. Sancti sui Patris severitatem fortè rescians B. Aloysius, nè ignominiae notam apud
 eum incurreret, tam acuratè hanc paupertatis regulam servabat, ut rogatus ab al-
 lio pro papyro, non prius id dedit, quam à Superiore dandi facultatem obtinuis-
Vit. p. 2. set. Item P. Thomas Sanchez ejusdem Societatis vir Doctrinâ insignis absque fa-
pag. 139. cultate nihil dabat aut accipiebat, licet minutissimum, & ut ipse scribit, nec filum.
 Rursus Venerabilis Joannes Berckman ejusdem instituti per totam vitam deplora-
 ravit, quòd aliquando Fratri cuidam imaginem dedisset, non impetratâ à Superio-
 riore (quem tamen quæsierat facileque consensurum putarat) facultate.

15. Præterea verus Pauper circa transgressionem vori aliqualem cum cibis à
 sua refectione remanentibus disponere non audet pro suo libitu, quia religioso
 conceduntur in tantum cibi, in quantum pro sua sustentatione indiget, quod verò
 remaneret tanquam superfluum ipsius non est. Undè prohiberi um erat apud Capu-
Boverius cinos panem de mensa auferre. Contigit autem, ut fratri cuidam Satan appareret
in Annal. sub specie B. Mariæ V. postulans panem. Frater errore delusus tempore prandii
An. 1573 panem furtive in manicam injicit, finitaque mensâ expectanti phantasmati por-
Historia. rigit. Quo facto dæmon repente mutatâ formâ hominem pedibus corripuit, &

verò abripuisset, ni unus audito fratris clamore advocâisset reliquos, qui fufis ad DEUM precibus furtivum eleemofynarum tandem hosti eripuerunt. Unde discimus nequaquam licere cibos in refectione remanentes sine facultate etiam pauperibus elargiri. Rurſus Religioſus voto paupertati adſtrictus abſque gravi ſuz conſcientiæ gravamine aliquid ſibi parvum ſive magnum occultare pro ſuo uſu non poteſt. Quòd colligitur expreſſè ex noſtra Regula, ubi S. P. N. furti condemnat eum, qui aliquid celaverit. Hinc legitur in Annalibus Capucinatorum, quòd in Conventu Armarienſi in Belgio Clericus ægrotus de ſalute deſperare cæperat, & Guardianò cauſam roganti dixit; dæmonem adſuiſſe, & ob ſcopas inconſulto Superiore occultatas damnatum dixiſſe, ſed Guardianus reindicata quietum eſſe juſſit. Alius etiam itidem de Familia S. Franciſci ante viſitationem in cella quædam abſconderat; & eadem nocte ab alio viſus eſt in inferno pendere de patibulo, habereque pendula de pedibus quiddam occultaverat. Quòd viſum cum deindè occultator intellexiſſet, vitium correxit. Hinc docemur ni proſus debere occultare.

16. Verus etiam pauper omnia (quibus utitur) Superiori candidè exponere debet, & obtentâ licentiâ ita rebus conſeſſis uti, ut citra læſionem & corruptionem, quantum fieri poteſt, utatur. Neque putet ſibi licitum eſſe quoquo modo cum rebus conſeſſis agere, ut, v. g. diſtribuere, deturpare aut quid ſimile, non enim datur ſimilibus plenaria rerum poſſeſſio in perpetuum, ſed ac commodatio ad tempus & neceſſitatem. Hinc ut ſcribit Caſſianus, ſi quis olim rem leviffimi pretii perdidit, aut deſtruxiſſet, tanquam votifragus graviffimè puniebatur. Cuiſdam fratri culinam adminiſtranti inter lavandum tria forè grana lenticulæ inter manus deciderant, & ab Abbate, tanquam interverſor & ſacri peculii neglector ab oratione ſuſpenſus eſt; nec aliter remiſſionem conſequi potuit, niſi peractâ publicâ pœnitentiâ. Vaſa & ſuppellectilem Monafterii tanquam Sacroſancta tractabant, utpotè non ſolum diſpenſatori, ſed etiam DEO pro iis rationem reddituri. S. Benedictus non modò vaſa, verùm etiam omnem ſubſtantiam monafterii habendam eſſe decernit, ac ſi Altaris vaſa conſecrata eſſent.

17. Quapropter ſtudemus Sanctæ paupertati, ac caveamus, ne minuta parvipendamus, nam & de his minutis rigida nobis reddenda erit DEO ratio. Undè ad propositum noſtrum Boverius narrat, quòd Frater Bernardus Sacerdos moriturus conſultabatur cum Satana. Objiciebat hic ei violatam paupertatem, quòd plus lini cerati de nocte conſumpſiſſet, quàm neceſſitas exegiſſet. Interim præſentes fratres pro ipſius ſalute recitabant Litanias; ipſe verò ad ſingulas Sanctorum invocationes nil aliud reſpondit, quàm, tam modicum, tam modicum, tam modicum, idque cum ingenti ſtupore mentis. Mirantibus fratribus, &, cum ad ſe rediſſet, querentibus, quid his verbis voluerit reſpondit: Ad Judicium ſtabam, in quo dæmon accuſator, poſtquam ex omnibus lini fruſtulis, quæ abſque neceſſitate combuſſeram, ingens volumen compoſuiſſet, illud mihi graviffimè objecit, & tanquam reum læſe paupertatis coarguit. Non poteram ſatis mirari tam levia

Idem
Anno
1571.
Historia.

Idem
Anno
1603.
Historia.

examinari tam severè, indè erupi in hæc verba, tam modicum, &c Verè mi chare frater Judicia DEI verenda sunt, maximè ubi de vobis decernitur, P. Otho de eodem ordine post mortem amico apparens dixit, se quidem salvum ac beatum, sed post tam exactum examen, ut DEUS Judex etiam de candela in locis communibus ardente examinaverit. Quid fiet proprietariis, dum tantilli paupertatis excessus non negliguntur? At audi adhuc quod sequitur. Quidam Senex ejusdem instituti, cum post nocturnam Synaxim in hyeme descenderet in coquinam, ut sese calefaceret, offendit ibi duos velut culinaria mancipia, qui prunas vivas ferreis rastrois dispergentes parabant locum tertio, qui fratrem veru infixum humeris inferebant in craticula supra prunas torrendum. Horrui Senex, & abiturus detentus ab uno est, atque interrogatus, num fratrem nosceret? Non inquit, Senex, Præfectus, ait ille, culinæ erat, ac ligna non observata lege paupertatis nimis profusè comburebat. Qua de causa tamdiu ex divino judicio ustulandus hoc loco est, donec novissimum quadrantem exsolverit.

Reg. c. 33.
L. 7. In-
stit. c. 6.

Hom. 8.
in Eccl.

L. 7. In-
st. C. 7.

Hom. 6.
in Eccl.

Lib. de
morib.

Reg. fu-
sor 32.

18. Quòd præterea vel maximè paupertatis virtutem evertere solet, est Proprietatis, quam S. Benedictus appellat nequissimum vitium, Cassianus, receptaculum vitiorum, malorumque omnium radicem, & inextricabilem nequitiae fomitem. S. Gregorius Magnus ait, proprietarium cor Monachi non habere, & ubi locorum hoc vitium se insinuat, ibi concordiam & charitatem manere non posse. Est autem proprietatis tam subtile malum, ut teste S. Gregorio Nysseno, ij, qui in omnia vitia dominium tenuerunt, clari virtutibus, huic tamen vitio obviare satis haud potuerint; quoniam plurimis involutum excusationum vanissimarum technis est. Non dantur, inquit proprietati, sufficientia. Quid si valetudo mala carnis emerserit, & reconditum non fuerit aliquid peculiare, quo sustentetur infirmitas? Præstatio Monasterii pertenuis est, & negligentia erga ægrotantes maxima. Si proprium aliquid non fuerit, quo curæ corporis valeat adhiberi, moriendum est. Ipsum etiam vestimentum non sufficit, quod præbetur, nisi procuraverim, unde aliud valeat exhiberi. Hi proprietatis prætextus jam Cassiani temporibus à malefieriatis proferebantur. Quare cum & nunc non raro similes excusationum prætextus inter ignavos religiosos audiantur, idè quilibet sedulus paupertatis Evangelicæ amator, & religiosæ perfectionis sectator maturè sibi consulat ac provideat, quò hanc virulentum hostem prosternat, meliùs autem haud fecerit, quàm si hæc duo frigida verba *Meum & Tuum* è penetralibus cordis sui longè profligaverit. Hæc enim duo verba, teste S. Gregorio Nysseno, sunt pernicioisa & materia luctus, cum in Paradiso non fuissent. Et secundum S. Chryostomum invehunt in vitam nostram quidquid malorum est, innumeraque gignunt bella. Undè S. Martinus Damienensis ait: Quietissimam vitam agerent homines in terris, si hæc duo verba *Meum & Tuum* à natura omnium rerum tollerent. Neque enim aliud quàm peccatis existimantur à S. Patribus. Hinc rectè S. Basiliius monet: Abesto, inquit, peccatis à fratrum Contubernio *Meum ac Tuum*. Et inter Pachomianos nè verbo

quò

quidem, ut refert Cassianus, quis audebat dicere absque magno crimine; Codicem meum, tabulas meas, caligas meas, &c. Ita ut puniretur si tale verbum vel ignoranti ex ore processisset. Ex Ethnicis verborum horum malitiam etiam agnovit Plato, undè docebat omnia debere esse communia, sublatisque duobus his verbis *Meum ac Tuum* de medio, nullas inter homines futuras contentiones. Quapropter fervet quilibet Sententiam S. Ambrosii dicentis: Si justus esse cupis, habeto communia pro tuis, & tua pro communibus.

19. Enim ve id si hæc præstiterimus, absque dubio evademus animæ nostræ naufragium, in quod multi Religiosorum ob lætam paupertatem æternaliter inciderunt, ex quibus, quod subjungo. Anno 1569. contigit, ut ex fratribus, quos Minores de Observantia vocamus, octo simul ad Capucinos transirent. Rogati causam dixerunt, Guardianum ipsorum haud ita pridem tam horrendam morte defunctum esse, ut nisi sibi melius consulere, non immeritò similia timerent. Cùm enim ex confectis à se stibellis pavonaceis, aliisque curiosis sericis signaculis multum pecuniæ corrasisset, ita tandem fatere cœpit, ut ejus præsentiam nemo tolerare poterit. Se junctum ergò cùm fratres aliquando inviserent, viderunt capite de lecto miserabiliter pendere, atque à monstruosa fele ad collum graviter lacerari ac suffocari. Cùm Fratres in abactione felis se multum fatigaret, ægrotus, non cum fele, inquit, sed cum dæmone vobis res est: hoc supplicium mihi vitæ turpitudine, concupiscentia, violata paupertas, ac spreta regulæ observantiæ peperit. Discite vos meo exemplo meliora. Damnatus à DEO ad tartara rapior, quibus dictis inter horrendum stridorem à fele præfocatus amisit animam. Alius quidam Frater Laicus, cùm Psalterium in scio superiore retinisset, & eo sæpius id exigente, tradere noluisse, in pertinacia tandem mortuus, post sepulturam inconditam voce in choro ejulare cœpit, adjuratusque à Guardiano, & quis esset, edicere jussus, respondit, se esse fratrem heri sepultum, & ob Psalterium non traditum æternum damnatum.

20. Adhuc horribilius quid evenit cuidam Capucino, qui allectus alterius Breviario, id clam subtraxit, & abscondit, sperans brevi se locum mutaturum; ubi eo absque suspitione uti posset. Qui Breviarium amiserat, Guardiano indicavit, rogans ut fratres moneret de restitutione. Nè quidquam id aliquoties factum. Undè concitator Guardianus per S. obedientiam edixit, ut quicumque Breviarium abstulisset, antiquo possessori redderet. Sed & hoc frustra fuit. Jam dies declinabat in vesperam, & Sacrista templum clausurus descendebat ad Ecclesiam. Nondum ad fores venerat, cùm ecce quidam in nigri monachi habitu ingreditur, qui conversus ad Sacristam, obsecro te, inquit, frater, relinque tantisper per apertas fores, dum quod meum tollo. Sacrista miratus nigri advenæ dictum, rem detulit ad Guardianum, secumque duxit ad Ecclesiam. Qui conspecto peregrino, quid, inquit, hic loci repetis? Et niger: Est inter tuos, qui, quod meum est, possidet, jube omnes adesse, & ostendam. Guardianus accitos omnes personato Monacho proposuit, qui ut conspexit Breviarium furem, momento pedibus arreptum per aëra vivum in

L. 4. iust. 6. 13.

L. 1. Of. sic. 6. 25.

Zach. Bou. in annal. Historia.

Chron. S. Franc. p. 2. l. 10 cap. 18. Historia.

Bouvetius in annal. Anno 1589. Historia.

omnium oculis avexit ad orcum, Breviario de Manica excusso. Ita cognitum fuit, quis hic niger, quis fur, & quæ pœna debeatur violatoribus paupertatis.

21. At obsecro te frater chare, nè graviter feras, si sermonem longiorem fecero. Delectamur enim uterque historiis. Quare pro Coronide tibi adhuc unam historiam proponam, ex qua videre poteris, quàm acriter Divina Justitia punit eos, qui in construendis monasteriis seu cellulis regulas paupertatis excedunt.

Boyerius Cùm P. Franciscus Astensis, Capucinorum secundus Generalis Magister Romanam
An. 1554. Provinciam visiteret, venit ad quoddam sui Ordinis cœnobium, in quo ipsi cellæ
n. P. admodum splendide extructa atque ornata pro diversorio assignata est. Peractâ
Francisc. cœnâ, cùm Pater in lectulo quiesceret, fores cellæ molliiter pulsatae sunt, ac si quis
Astensis. ingressum postularet. Audiit id Pater, & per verbum *DEO gratias* pulsanter ad-
Historia. milit, sed nemo intravit. Tandem non semel ingeminato pulsu, dictoque *DEO*
Boyerius cella, propter te solam ad inferos damnatus heu miser abscedo. Et cum dicto dis-
1547. paruit. Alter quod Ecclesiam præter communes pauper atis leges, extendere vo-
 luerit, damnatus est. Unus etiam, quod cellam sibi splendidiorem extruxerit ad
 tartara raptus est, quamvis hic sub S. Francisco, in familia laxiore, militaverit. Ex
 quibus chare frater facilè videre poteris, quàm metuenda sint iudicia *DEI* circa
 violatores voti paupertatis. Cogita præterea apud temetipsum, quid si tu ex his
 miserrimis religiosis tui sses unus, & nunc jam infernali incendio æternùm conflag-
 rates, quare age gratias Deo, quod non posuerit te in exemplar, quo alii tuo dam-
 no meliora saperent, sed quod posuerit tibi alios ante oculos, quò cautius alenis
 periculis fias, ac sanctæ paupertati studiosior. Declina ergò minima, quæ huic vo-
 to adversari videntur, & non facilè committes majora. Et è contra ut loquitur
C. 19. v. 1. Ecclesiasticus: *Si sperni modica, paulatim decides;* quapropter nè quondam cum
 memoratis infelicissimis cœnobitis ad tartara decidas, noli cum eis nunc contem-
 nere modica. Vale.

SERMO XV.

DE
Castitate.

Hæc est voluntas DEI, Sanctificatio vestra, ut abstinatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in Sanctificatione & honore, 1. Thess. c. 4. v. 3.

PARS PRIMÆ.

*Prat. Spi. 1.
116. 6. 41.* **M** Arcellus Scithiota Abbas apud Joan. Moschum ait; nihil ita *DEO*
 Monachos familiares efficit, ut pulchra & honesta & *DEO* gratissima
 Casti.